

vii

MICIO DEMEA

*MI.* Ibo, illis dicam nullam esse in nobis moram.

*DE.* sed ecce ipsum. te iamdudum quaero, Micio. 720

*MI.* quidnam? *DE.* fero alia flagitia ad te ingentia  
boni illi(u)s adolescentis. *MI.* ecce autem! *DE.* nova,  
5 capitalia. *MI.* ohe iam. *DE.* ah nescis qui vir sit. *MI.*  
scio.

*DE.* ah stulte, tu de psaltria me somnias  
agere: hoc peccatum in virginemst civem. *MI.* scio. 725

*DE.* oho scis et patere? *MI.* quidni patiar? *DE.* dic  
mihi,

non clamas? non insanis? *MI.* non: malim quidem..

10 *DE.* puër natust. *MI.* di bene vortant! *DE.* virgo nil  
habet.

*MI.* audivi. *DE.* et ducenda indotatast. *MI.* scilicet.

*DE.* quid nunc futurumst? *MI.* id enim quod res ipsa 730  
fert:

illinc huc transferetur virgo. *DE.* o Iuppiter,  
istocin pacto oportet? *MI.* quid faciam amplius?

15 *DE.* quid facias? si non ipsa re tibi istuc dolet,  
simulare certe est homini'. *MI.* quin iam virginem  
despondi; res compositast; fiunt nuptiae; 735  
dempsi metum omnem: haec magè sunt homini'. *DE.*  
ceterum

placet tibi factum, Micio? *MI.* non, si queam  
20 mutare. nunc quom non queo, animo aequo fero.  
ita vitast hominum quasi quom ludas tesseris:  
si illud quod maxume opus est iactu non cadit, 740